



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

7. Modestia docetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

piternas. Explicat glossa in Jobi cap. 31. orbis & spiras has serpentinās: Visum inquit, sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio. Relege vestigia luxuriæ: quid reliquit, ubi voluntas assensu deliquit, nisi mœstas & turpes in memoria imagines, opacas in intellectu tenebras, tectam in voluntate nauseam, fœda in somnis spectra: infamem in nomine notam, immensum in toto homine ob præterita mœrorem, ob præsentia pudorem, ob futura horrorem. En quibus flexibus hoc firma serpentinum volvatur; quod absinthio hic favus & mel temperetur.

VI. (f) Quare si sapis, Bellerophonem imitare, conscende Pegasum, arripe Mercurij frameam, decerta strenuè adversus Chimæram; ne terreat prima fronte occurrens leo, furiosæ, inquam, vis libidinis. Generoso contemptu hoc *pecoris bonum*, ut Seneca loquitur, vincitur; regat ratio appetitum, & altior, velut in Pegaso eminens attendat, quid honestas velit, non quid inconcessa voluptas suadeat. Moveant exempla in hac palæstra præcedentium: *potuerunt illi & illa*, fac tu quoque ut possis. Post leonem *hircus* superandus; fœtor ipse absterreat, & infamia vitij turpissimi, ipsis etiam, quos tenet, exosi & erubescendi. Jam *gladio Mercuriali*, hoc est, obfirmata voluntate non peccandi (Josephum Ægyptium cogita) *draconis* est cauda truncanda; scilicet titillationum initia præcidenda, hoc est, primæ cogitationes repellendæ, ne in spiras multiplices & nodos insolubiles, delectationes, aio, & desideria lethifera, girentur & implicentur.

VII. (g) Quid autem sibi vult, quod Bellerophon excussus Pegaso, fordidam humum mento premat? discant hic modestiam illi, quos vel doctrina, vel conscia virtus, sublimius attollit. Pauli dictum est 1. Corinth. 8. *Scientia inflat*. Securè vis inequitare Pegaso, frena curiositatem *sciendi*; ut si tibi videris sapere, cogita multò plura esse, quæ nescis, quàm quæ scis. Septem illi Græciæ Sapientes etiam inde hoc nomen meruerunt, quod aureum tripodem nemo eorum sibi servare voluerit, sed Delphos ad Apollinem remiserint. Cujuscunque doctrinæ flumen sis, redeat hoc in ortum suum, hoc est, Deum. Deinde Bellerophon castus, alato dejectus equo hoc quoque te doceat, ut memineris haud paucos post accerrimas pro virtute & integritate pugnas depugnatas, post reportatas à Libidine victorias, post liliatos Castitatis

R 2

trium-

(f) *Adversus Chimæram seu serpem libidinem quomodo pugnandum.* (g) *Casus Bellerophonis modestiam docet.*

triumphos, in subactæ voluptatis impuræ cœnum fuisse relapsos. *Qui stat, videat, ne cadat.*

SYMBOLVM XXVI.

Pierides à Musis devictæ, in picas abeunt.

5. *Metam.*

Ethicè.

1. Feminarum loquacitas & levitas. 2. Sapientiæ comes Castitas.
3. Litterarum utilitas & oblectatio. 4. Musæ secessum amant.
5. Apollo, cur Musarum Præses.

Musæ nomen vel à *cantu* habent, vel, ut aliqui volunt, ἀπὸ τῆς *μῦσεως*, ab *inquisitione*, Jovis & Memnosynes seu *Memoria*, filia; quarum Præses Apollo. Variæ à varijs rebus appellationes sortitæ sunt; nam à *montibus* Parnassides, Heliconides, Aönides dicuntur: à fontibus Pegasides, Hippocrenides, Aganippides, Cassalides, Libethrides, Pimpleides vocantur; à *regionibus* & *oppidis* Sicilides, Thespiades &c. à matre Memnosynides appellantur; Pieridum verò cognomentum adeptæ sunt, quòd *Pieris*, viri cujusdam prædivitis filias, secum certare canendo ausas, in picas mutârint. Sic olim Imperatores Romani à subactis à se populis nomina sibi Cretici, Africani, Parthici sumebant. Illius porrò victoriæ præmium mons erat Parnassus: Judices ab utraque parte federant Nymphæ, silvarum incolæ.

Argumentum cantûs Pieridibus à Gigantum adversus superos expeditione ductum est, eo quidem eventu, affectûque, ut multa tribuerent illorum fortitudini; Deos verò pudendæ formidinis arguerent, qui quarendæ salutis ergò, diversas & ridiculas animalium formas induerint, nimirum Jupiter in *arietem* migrârit.

Delius in corvo, proles Semeleja capro,
Fele soror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,
Pisce Venus laruit, Cyllenius ibidis alis.

Vicissim Musæ laudes Deorum, præcipuè Cereris cecinerunt. Finito carmine, victoria penes Musas, sententiâ Nympharum stetit. Quarum judicio cum non acquiescerent Pierides, sed ultro victrices sorores

CON-